

rea trabea cœnoso in loco volvaretur à Ruscono milite capitur, seruaturque ægre ab irati Langusci gladio, deprecante Othonem, & trepidum perhumano sermone consolante. Capiuntur quoque in ea aduersi prælii fuga summæ spei adolescentes Conradus cognomento Musca & Guido Turriani, hic Francisco, ille Napo genitus erat. Qui bus aliquot post annos carcere eductis, paterni Imperii decus Fortuna restituit, Itemque Hereccus superioris Pagani ex Hermano prone pos, Lombardusque eius patruus, & Cauerna pater Pagani iunioris Patriarchæ Aquileiensis & Napi germanus frater. Hos omnes Simon atque Lucterius, tanquam peculiari ipsorum sorte Comensiumque militum felici virtute superatos & captos Comum deducendos curauere, vt in Baradelli arce custodirentur. Ea est ædito in monte excel sa Turre insignis à Luithprando Longobardorum rege ante octingen tos annos ædificata, vt late speculam in subiectos campos ad tutelam vrbis præberet. Ferunt Simonem, quod eius animi ferociam victoria mitigasset, non aliter insultasse Napo quam ut diceret, Non reposcam à te sanguinem & opes Nape, postquam Dii me voti compotem fecerunt, sed æquo iure pœnam Talionis, experieris enim tantum, quale cruciatus & contumeliæ sit genus, in cauea ferarum more custodiri. Et vir certe sapiens & egregie fortis inter paucos numerab eris, si ea quæ ego diu miser & non semper infelix tuli pari patientia feres. Napus constanti animo fabrefactam cancellatis trabibus caueam intrans, nihil pro se, sed tantum pro Guidone & Musca deprecari, se meritas pœnas luere. Eos vero qui vitæ innocentia nihil durius merebentur humaniter custodirent. Non caruit scribendi legendique solatio Napus, Cæterum adeo acerbe custoditus est, vt ei neque cultelli neque forfices concederentur, quibus sibi mortem consciscere posset, vnde illi ad deformitatem prælongi vngues, promissa cæsaries, & illuuie turpis barba prouenerant. Reliqui, & ante alias Musca & Guido decori iuuenes, cum Lucterii generosi viri humanitate, tum pacati iam Simonis indulgentia, liberalius adseruati. Otho memorabilis potitus victoria, ante omnia apud duces militesque grauiter atque humaniter egit, vt moderate victoria vterentur, cædi vindictæq, finem imponerent, spoliis contenti essent captiuosque dimitterent. Agedas pure Diis immortalibus gratias, quod toties bello profligati, atq. omnibus exilii, fugæ, atque egestatis oppressi malis, septies acie viatores hostes tantisque subnixos opibus, ad internitionem eorum nominis, vnius horæ momento debellasent. Remisere impetum patrii condidereque extemplo gladios, commouerat enim generosos quorundam animos, Francisci cadauer lutulento in solo fœde proculcatum, cuius etiam caput gregarius miles ob fratris necem, decissum truncō, hastæque prefixum victoribus pariter & captiuis ostenta bat. Fuerat Franciscus Napo fratre sæuior & asperior, vt pote qui